

ENCOMIUM
MARPURGI

Conscriptum,

AB

HIERONYMO SIVERTO,
MAGDEBURG.



MARPURGI CATTORVM,
Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPÉLII,
Academ. Typographi.


—
MDCXLV.

.H. urb. Germ.

888,10

MAINTENANCE
OF THE
LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF
DRESDEN
1800

1800



P. Waltman Sculp.

ILLUSTRISSIMIS AC CELSIS-
SIMIS PRINCIPIBUS ET
DOMINIS,

DOMINO ERNESTO AUGUSTO, Duci Brunsvicensium &
Lünaburgensium, Rectori Academiae Magnificentissimo.

DOMINO LUDOVICO } Fratribus Germanis, Hassiæ Landgraviis, Comiti-
DOMINO GEORGIO } bus in Cattimeliboco, Deciâ, Zigenhainâ,
Niddâ, Isenburg & Büdingâ.

DOMINO WILHELMO }
CHRISTOPHORO } Fratribus Germanis, Hassiæ Landgraviis, Comi-
DOMINO GEORGIO } tibus in Cattimeliboco, Deciâ, Zigenhainâ &
CHRISTIANO } Niddâ.

NEC NON

ILLUSTRIBUS ET GENEROSIS-
SIMIS DOMINIS,

DOMINO ADOLPHO } Fratribus Germanis, Comitibus
DOMINO PHILIPPO } Nassovicis.

DOMINO CASIMIRO, Comiti Lippiensi.

DOMINO GEORGIO LUDOVICO, Kirchbergensi.

DOMINO GEORGIO ERNESTO, Erpacensi.

DOMINO ANTHONIO, Kirchbergensi.

DOMINO SIMONI PHILIPPO

DOMINO HERMANNO OTTONI

DOMINO LUDOVICO CHRISTIANO, } Fratribus Germanicis Co-
mitibus Lippien-
sibus.

Academiae & Urbis Marpurgensis
ornamentis,

Domini suis Clementissimis

Salutem felicitatemq; perpetuam precatur

Hieronimus Sivertus.



V publicam gratitudinis testificationem, Illustrissimi ac Celsiss. Principes, Illustres & Generosiss. Comites, Vestris Celsitud. & Generos. exhiberem, quod oratiuncula, quam nuper de Marpurgi laudibus, in Philosophorum auditorio habebam, interesse, & actum istum Clementissimâ vestrâ presentia illustrare non fueritis dedignati, placuit nonnullis, quorum voluntas semper mihi pro lege erit, ut eandem, sub vestrorum nominum auspicio, typis inprimi curarem. Quamvis, quò minus id agerem, diu abstererer, quod non lateret, eam stylo simplici, plano & magis Philosophico quàm Oratorio elaboratam, haud effugituram prematura judici a illorum partim, qui, nescio quo, spiritu afflati, sub vate semper loqui, & nil nisi oracula se proferre sibi persuadent, partim illorum, qui, quod ipsi prestare nequeunt, in aliis culpâre solent; Atamen cum alia, gratitudinem declarandi via, in hac virium infirmitate, sese non offerret, non potui, quin illis morem gererem, ne vestrum Clementissimum, tum temporis indigno mihi exhibitum affectum, quem, quamdiu spiritus hos reget artus, deprecare nunquam cessabo, non agnovisse visus, gravissimum ingratitude criminis justè incurrerem. Mutatam igitur eam paulò, & in quibus visum fuit, amplificatam Vestris Celsissimis ac Generosissimis nominibus, in grata mentis tesseram, eâ, quâ par est, animi submissione humilimè offero. Suscipite, quæso serenâ fronte, pro solitâ vestrâ clementiâ, chartaceum hoc ac levidense, nec tam ipsius dignitatem, quàm offerentis animum intuemini. Favete hisce ingenii mei primitiis, easq. ab omni dente livoris maligni chypeo & splendore auctoritatis vestræ vindicate. Me quod attinet, flectam ego genua in nomine Iesu, ad Deum omnipotentem, eumq. prece calidâ stimulabo, ut Celsitudinibus ac Generositatibus Vestris, in hac perditorum temporum caligine, dexter adsit, vos Spiritu suo S., qui Spiritus est veritatis, sapientie & justitie inungat, & ad excellentissimas illas, animi & corporis dotes, quibus præ aliis eminentis, incolumitatem diuturnam adjiciat. Scripsi Marpurgi 29. Sept. Anno Domini 1645.

Alexander



ALEXANDER M. Rex Macedonum, cum aliquando Apellis, celeberrimi illius pictoris officinam ingressus, picturas politissimas, summoq; artificio elaboratas vel tacitus præteriret, vel etiam virgulâ censoriâ notaret: Incultas verò pleno ore deprædicaret, ab Apelle graviter castigatus, ejusdemq; pueris, colori terendo operam navantibus, irrisus esse legitur. Quicquid Alexandro M. evenit, idem mihi, Marpurgi encomium decantaturo, evenire posset, quod omnes alias in Europâ urbes florentissimas, & tam propter ipsarum vel majestatem, vel amplitudinem, vel firmitatem, quàm propter rerum in iisdem, & ab earundem incolis præclare gestarum multitudinem ac magnitudinem celeberrimas, silentio præteriens, Marpurgum, urbem parvam, nullo aggere, nullis turribus munitam, neq; incolis, neque divitiis refertam, publicè laudandam susceperim. Verùm enim verò, si illæ urbes, quæ spatii magnitudine, incolarum multitudine, aggerum, murorumq; latitudine ac altitudine alias antecellunt, tantùm extollendæ essent, ultrò largirer me dignum, qui à quovis risu exciperer. Non autem puto, quemquam ita servili esse ingenio, qui id ipsum opinetur. Sæpè enim hæ urbes externam tantùm spirantes majestatem, externis tantùm splendentes ornamentis, haud dissimiles illis sunt sepulchris, de quibus Salvator noster, quod foris speciosa appareant, intus verò ossibus mortuorum, omniq; spurcitiâ sunt adimpleta: destitutæ quippe optimis plærunq; ornamentis, ut benè constitutâ politiâ, benè constitutis scholis, veraq; Ecclesiâ, quam vel planè non habent, aut corruptam habent, aut præter incorruptam alias fallas tolerant, destitutæ deniq; incolis, incolis, inquam, virtuti-

6

bus, in quibus vera civitatis beatitudo politica consistit, operam suam non addicentibus. Vel sitæ sunt tali in loco, ubi aëre fruuntur humidiore, crasso & nebuloso, à quo frequentes venti, pluviae, nives, grandines, & aliae tempestates scævæ ac turbidæ proveniunt, quæ varios morbos, fluxiones, catharros, aliaq; symptomata corporis causari & excitare solent. Vel etiam, si maritimæ, ob vehementiores ventorum flatus, indeq; ortas tempestuosiores maris fluctuationes summis periculis, in primis verò terræ motibus ob cavernarum & venarum abundantiam, sunt obnoxiae: In illis enim multi vapores generantur, qui intra terram multiplicati, exitum dum non inveniunt, vi terram concutiunt, eamque concutiendo simul venas & poros, quibus aquæ subterraneæ concluduntur, dirumpunt ac agris, eorumque seminibus, quibus incolæ vescuntur, aquæ, quæ illi fruuntur, aërique, quem spirando hauriunt, venenatas suas qualitates imprimunt, unde magnæ inundationes, quæ integras sæpè regiones absorbent, magnæ sterilitates, morbi contagiosi, ac alia damna, existis perniciosis terræ motibus oboriri solent, quod plurimis, tam rationibus physicis, quam exemplis demonstrare possem, quæ, ne sim prolixior, lubens jam relinquo. Non tamē possum, quin unicum exemplum proferam urbis Constantinopolitanæ. Hujus incredibilem magnificentiam longè amplior est, quam ut tenui facultate dicendi explicari possit, unde Cœlius Rhodoginus eam *κόμην κόμην* appellare non est veritus. Quia autem omnibus ferè ex partibus mari alluitur, & sic aquis undiq; est superflua, crebrioribus, quam ulla alia, terræ motibus, per integros interdum menses durantibus, eandem sæpè ita concussam esse, ut nonnunquam multa hominum millia perierint, moenia, turres, plurimaq; domicilia, quin & tota ferè urbs collapsa sit, non modò ex authenticorum scriptorum monumentis compertum habemus, verum & recentioribus hisce ætatibus frequentissimi ex eadem motus sunt nunciati. Quis igitur est, qui urbes beatas existimet ob splendorem externum, quippe, qui valdè mutabilis, sæpenumerò quoque plurima, ut dictum, pericula adjuncta habet, à quibus, præterquam quod

quod immune est Marpurgum, etiam multis, præ aliis civitatibus, ornamentis nitet, quemadmodum id brevissimis, quantum fieri poterit, demonstratum dabo. Non autem enarrabo singula, sed faciam, quod militares Duces facere consueverunt, qui fortissimos quandoque tantum, non omnem semper exercitum, in pugnam deducunt, selecturus præcipua, quæ ad felicitatem, bonamque civitatis constitutionem requiruntur. Primò Marpurgum valdè commendat ejusdem vetustas. Plurimi namque id æstimamus, quod non nostris, sed antiquissimis temporibus ortum cœpisse novimus. Est enim id, inquit Aristoteles, honorabilius, quod est vetustius. Ideoque illi, qui urbem quandam laudaturi sunt, potissimam commendationis partem ab antiquitate desumere solent. Marpurgum quod attinet, haud immerito illud urbibus vetustissimis annumeratur. Si enim Historiographis quid fidei tribuendum, longè ante salutiferum Christi partum id ipsum ab antiquis Cattis suam originem traxit. Hi enim ex Asiâ, quam invaserant, profugi, postquam diu multas regiones circumnavigando, incertis sedibus vagati essent, Rhenum tandem descendunt, totamque ferè Franconiam Hassiam, Thuringiam, Westphaliam, ut & Ducatum Wirtenbergensem maximâ ex parte occupantes, fixam in iis sedem constituerunt, & à diversis locis diversa sunt sortiti nomina. Quidam à monte Meliboco, quem accoluerunt, Cattimeliboci: Alii Casvari seu Cattuarii: Nonnulli Hestones s. Hettones: Reliqui Mattiaci sunt appellati. Hi tractum hunc circa Lanum, fluvium, eligentes, ne hinc inde dispersi prædæ hosti futuri essent, urbem quandam Mattiacum ipsis, quod quibusdam Marpurgum est, nuncupatum, condidèrunt, anno mundi, ut putant, bis millesimo septingentesimo vigesimo, quo tempore judices, à quibus Israëlitæ gubernati sunt floruerunt. Ambrosius Calepinus hoc Mattiacum denotare putat urbem aliquam, calidis fontibus nobilitatam, propterea quod Plinius, quarundam thermarum in Germaniâ trans Rhenum mentionem faciens, illas Mattiacas appellet, lib. 31. c. 2. Arbitratur ergò intelligendam Badam, urbem in Marchione Badensi sitam, talibusque
fonti-

fontibus nobilitatam. At hæc Calepini opinio nullâ vel nominum convenientiâ, vel authoritate, vel ratione etiam nititur, rejectâ igitur eâ, Plinium illas magnificentissimas ac celeberrimas, quæ in Hassiâ reperiuntur, thermas notare, easq; vel ab urbe, vel, quod eodem recidit, ab incolis Mattiacas vocare dicimus. Martialis quoq; in suis distichis quarundam pilarum meminit, ac istas Mattiacas nominat, forsân quod Hassi, Mattiaci dicti, in iis elaborandis, præ aliis populis, incubuerint, & præstantissimas confecerint. Hoc Mattiacum varias fortunæ expertum est vicissitudines. Postquàm enim annos 1080. steterat, anno post Christum natum decimum sextum à Germanico, filio Drusi, incensum est: verùm à Cattis brevi restauratum. Elapsis postea annis centum & triginta, cum Catti intestinis dissidiis laborarent, Marcomirus Francorum Rex id occupavit, & à suo nomine Marcomiriburgum nominavit, quod nomen subsequutis temporibus in Marckburgum, hoc autem in Marpurgum, vel Martpurgum est mutatum. Cornelius Tacitus l. 1. Annal. illud Mattium vocat, alii Matium. Quidam Pheugarum olim appellatum tradunt. Johannes Antonius Maginus, Patavinus, in Bononiensi Acad. Matthem. Professor, Marpurgum putat esse Amasiam s. Amisiam, quod nonnulli etiam tribuunt Ptolomæo, uti legere licet apud Gerardum Mercatorem; Verùm ex Plinio l. 4. c. 14. Nat. hist. Tacito l. 1. & 2. Ann. Strabone & aliis constat, Amisiam illam non esse urbem, sed Germaniæ fluvium, Germanis dictum die *Embß*. Antiquitùs à Marte, quem præcipuè gentilismi temporibus incolæ coluerunt, Martisburgum vel Martispyrgum quali, Martis *mîgy* seu propugnaculum est appellatum. Fuit autem Marpurgum vicus solummodò usq; ad Elisabethæ tempora, Ungarorum Rege Andreâ procreatæ. Hanc enim cum ipsi Papæ, ipsi Imperatores, Reges, Principes, aliiq; tam Clerici, quàm Laici ob summam pietatem, summam erga egenos liberalitatem, nec non plurima, quæ de eadem divulgabantur, miracula per universum orbem clarissimam, ut Numen aliquod venerarentur, ipsum Marpurgum, quod Elisabethæ viduatûs domicilium & dos erat,

simul

simul magnificari cœpit, ut nemo esset, qui id nō videret, aut videre saltem optaret. Postmodum cum illa lucis hujus usurâ privata esset, summâ cum pompâ ac comitatu SIGISFRIDI, Archiepiscopi Moguntinensis, THEODORICI, Archiepiscopi Trevirensis, Episcopi Hildesheimensis & aliorum infinitorum hominum hîc Marpurgi, anno trigesimo primo seculi Christiani decimi tertii, in sacello, ab ipsâ exstructo, est sepulta. Quinquennio post, ipso Pentecostes die, à Pontifice GREGORIO IX. præsentibus Patriarchis, Hierosolymitano & Antiocheno, aliisq; multis Episcopis, Perusiæ, quæ civitas est, sita in Hetruriâ, regione Italiæ, in cœnobio fratrum Prædicatorum, catalogo Sanctorum est ascripta, & ara, in ejus honorem ibidem exstructa, consecrata & Pontificiorum more donata. Evulgatis postcâ de consecratione hâc bullis Pontificiis, Imperator FRIDERICUS II. Marpurgum veniens tempora Elisabethæ pretiosissimâ cinxit coronâ, postquam lapidem sepulchralem, qui ejus sepulchro impositus erat, suis met devolvisset manibus. Ossa autem Archiepiscopus Moguntinensis, Trevirensis & Coloniensis, unâ cum Episcopis Bremensi ac Hildesheimensi, ut & Conrado Landgravio, ordinis Teutonici Magistro magno, ac aliis pluribus cœnobiorum præfectis, summâ cum devotione & reverentiâ ex sepulchro, instrumentis aureis ac argenteis elevata, in loculum, quem infra describemus, reposuerunt. Ô gloriosissimum & maximè insignem Marpurgo diem! Insignem ob præsentiam Imperatoris majestaticam! Insignem ob præsentiam tot Episcoporum, ast quid dico Episcoporum; imò Archiepiscoporum venerandam! Insignem deniq; ob multitudinem illam hominum incredibilem, quæ tùm temporis ex remotissimis locis Marpurgum confluerunt. Fide enim Historicorum dico, duodecim millia hominum, quin Godefridi ejus ætatis scriptoris, Andrea Brunneri ac aliorum fide dico, duodecies centena millia, ut huic consecrationi interessent, illo die in urbe hâc comparuisse. Post illa tempora plurimæ peregrinationes votivæ ad D. Elisabethæ delubrum sunt susceptæ, tantaq; hominum multitudo, quæ illius ætatis fuit superstio,

B

expe-

ex peregrinis terris, Hungariâ præsertim, quò preces & sacrificia sua ad illud peragerent, hîc convenerunt, ut multis ac continuis genuum flexibus lapidem situm ante altare, quod Elifabethæ dedicatum, excaverint. Hinc illa platea, quæ vocatur der Pilgrimstein suum traxit nomen, quod in eandem illi, qui peregrinationes istas susceperunt, diverterint. Ab hoc die Marpurgum à Principibus inhabitari, ideoq; quod ad ornatum & cultiora ædificia magnum de die in diem incrementum sumere cœpit. *Solet enim, inquit Tholos. de Rep., habitatio assidua vel frequentior Principis in urbe eam & adificiis & artificiis & divitiis splendidior reddere, sicut contra Principis absentia, splendida solent corrumpere & neglectui haberi.* Tandem ab Hermanno Landgravio, S. Elifabethæ filio, muro munitum, & ab eodem in honorem matris metropolitanâ dignitate exornatum est. Anno Christi millesimo centesimo quinquagesimo nono, vel, secundum alios 1261, rursus anno millesimo trecentesimo undecimo, vel, ut quibusdam placet, 1319, Marpurgum incendio penitus extinctum in eam tandem formam, quam jam repræsentat, omni dubio procul majore cum labore, majoribusq; sumptibus, quàm ulla alia civitas, est exstructum. Totum enim monti ferè adhæret, ita tamen ut eedes non hinc inde sint dispersæ, qualis earum dispositio antiquis temporibus fuit: sed ordine directo & concinno dispositæ, rectas plateas justam latitudinem habentes, efficiant. Hæ autem plateæ magis magisq; deorsum declinant, unde ex unâ in alteram iturus, lapideas interdum scalas ac cochleas altas ascendere cogeris, nisi longis ambagibus uti malis. Hinc nati Rythmi sequentes:

Wer von Tübingen kompt ohne Weib /
 Von Wittenberg mit gesundem Leib /
 Von Helmstatt ohne Wunden /
 Von Giessen ohne Schrunden /
 Von Marpurg ohne fallen /
 Hat nicht studirt in allen.

In jhgo

In jugo montis sitam habet insignem arcem (notatur illa in figurâ appositâ sub lit. A.) antiquam Hassiæ Landgravorum sedem aulicam, quæ urbis faciem mirum in modum exornat, & ab illâ parte, quâ prærenturâ munita est, præter hippodromum, etiam sphæristerium habet. In hoc turris est exstructa, in cujus parte superiore cupreum labrum continetur, in quod aqua ex Lano, qui ab arce procul fluit, per ferreos syphones, admirando artificio, ad multa stadia sursum truditur. Ex isto labro alii duo egrediuntur canales ferrei, quorum alter aquam in viridarium, quod sphæristerio contiguum est, alter eam in arcem, aliaq; loca insigni arce deducit. E regione altissimus & vastissimus mons est, in quo alius fons oritur, qui per canales cupreos in arcem introductus, in multos fontes ibidem sese exonerat. In medio montis situm est Templum summum (hoc not. sub lit. B.) loco præceteris urbis partibus munito, & tam ab eumentium & vendentium commerciis, quàm à sordidorum opificum strepitu & foetore liberum & remotum. In hoc Illustrissimorum ac Celsissimorum Principum & Dominorum, Dn. LUDOVICI senioris, qui anno 1604. vivere desit, ut & Dn. LUDOVICI, qui ob fidei & candoris constantiam fidelis nuncupatus, anno 1626. naturæ debita solvit, Hassiæ Landgravorum, exquisito artificio fabricata visuntur monumenta. Curia (hanc monstrat in figurâ lit. C.) egregia illa fabrica, ex lapidibus adamussim excisis tota erecta in eadem montis parte condita est, Marpurgoq; non mediocre ornamentum affert. In radice montis versus septentrionalem plagam, exstructum est augustum illud, & suâ mole spectabile Templum D. Elisabethæ (vide illud sub lit. D.) in cujus exstructione integri anni quadraginta octo sunt consumpti. Ædificari namq; cum cœpisset anno Christi, supra millesimum ducentesimo trigesimo quinto à Conrado, fratre Ludovici, qui maritus erat D. Elisabethæ, & Henrici, Hassiæ Landgravorum, anno 1283. demùm consummatum est. Tres insignes & rari operis turres hoc Templum habet. Duæ unâ cum ipso Fano, à fundamento ad supremum culmen usq; ex merè quadratis & ad normam formatis lapidibus prægran-

B 2

dibus

dibus erectæ, & lapideis imaginibus sunt circumcinctæ. Alterius pin-
 næ eques est impositus, qui pondo habet quinquaginta novem. Alte-
 rius globus pondo, ut ajunt, habens 206. ac tantum aquæ capax, quan-
 tum triginta urnæ capere possunt. Hic anno millesimo sexcentesimo
 decimo quinto fulmine dejectus, sequenti 1616. mag. is sumptibus,
 qui ad ducentos quinquaginta thaleros Hispanicos æstimantur, præ-
 sentibus multis hominum millibus, est relevatus. Turris tertia plum-
 beis laminis, quibus & ipsum Templum, est obducta. Hæc ornamen-
 ta externa sunt hujus insignis structuræ, à quibus ad interiora digre-
 dimur. Tres in eadem sunt chori, in quorum uno plerorumq; Land-
 graviorum, qui usq; ad annum Christi 1509. regnarunt, ac illorum
 conjugum lapidea extant monumenta, inter quæ visu dignum me-
 numentum Sophiæ, filiæ Elisabethæ, ad quod homines olim faces,
 per integrum seculum ardentes, conservarunt & Sophiæ faciem, assi-
 dua oscula ei infigendo, totam fermè planam reddiderunt. In secun-
 do altare summum est, de quo S. Synaxis distribui solet. Hoc insigni
 aulæo est vestitum, quod Elisabethæ conopeum, ab ipsâ confectum,
 fuisse narratur. In tertio, qui Elisabethæ chorus vocatur, quatuor
 sunt exstructæ aræ. In unâ Elisabethæ statua est erecta. In aliâ sculptæ
 visuntur imagines, totam illius vitam, gesta, mortem & consecratio-
 nem exprimentes. Reliquæ aliis imaginibus sunt condecoratæ. Ex
 hoc locus ille, in quem Elisabethæ ossa reposita fuerunt, translatus
 est in peculiare, huic choro contiguum, sacellum, ubi hodiernâ adhuc
 luce fidelissimè conservatur. Est autem hic locus merè argenteus,
 pretiosissimis unionibus, gemmis ac smaragdis quorum quidam, præ-
 cæteris insignis, triginta mille aureorum æstimatur, ut & imagini-
 bus Christi, Mariæ, quatuor Evangelistarum, duodecim Apostolo-
 rum, aliisq; Elisabethæ acta representantibus, undiq; adornatus.
 Cultus divinus in Templo hoc singulis diebus Solis ac Mercurii per-
 agitur, quod adjicere placuit propter Nicolaum Serarium Jesuitam
 id ipsum l. 5. Rerum Mogunt. inficiantem. Coemiteria habet duo:
 In altero Domini Ordinis Teutonici sepeliuntur, in altero præter
 alios

alios tumulus Poëtae Præstantissimi Eobani Hessi reperitur. Insignes præterea ædes eidem sunt adjunctæ, quæ à Commendatariis Ordinis Teutonici incoluntur, & magnificentiâ cum quodam Principis palatio certare possunt. E regione parvum Templum, (notat hoc lit. E.) S. Michaëli dedicatum, situm est, in quo non nisi conciones funebres habentur. Aliud insuper Templum S. Kiliano Sacrum hîc in foro frumentario videtur, in quo D. Elisabethæ temporibus cultus divinus peractus est, subsequutis verò, cum splendidiora in urbe hâc Fana exstruerentur, Kiliani istud in alios usus est translatum. Antiquitùs Marpurgum multa cœnobia habuit tam monachorum, quàm monialium, quorù tria post reformationem, sub Philippo, Magnanimo illo Hassiæ Landgravio, factâ, Academiæ studiis sunt dedicata. Unum illorù vocatur vulgò *das Rogelhaus* / (vide lit. F.) aliàs *das Kloster zur Löwenburg*. Extrinsecus ei hæc verba sunt incisa: *dis heisset das frater-Haus an der Löwenbach* / per quem Leonis rivum quidam Lanum vel, ut à nonnullis vocatur, Lonam fluvium, qui Marpurgum præterlabitur, intelligunt. Cœptum id ædificari anno 16 seculi præteriti. Inhabitatores ejus vocantur *die Rogelherm*. Multi à mitris, quas instar circuli s. globuli gestaverint, eo nomine eos appellatos esse existimant. Quinam fuerint ex historicis non liquet. Hoc certum eos celebrasse Missas. Templum enim venustum, ex lapidibus artificiosè sectis erectum, quod Theologico studio cessit, habet hoc cœnobium adjunctum, cujus altare à Mauritio, Landgravio Hassiæ inferioris est demolitum. Butzbachi, quæ urbs est sita in superiore Hassiâ, Marpurgo quinque milliaribus distans, quoque suas habuere sedes, & quantum ex Dilichio colligere licet, etiàm Cassellis: An aliis præterea in locis ignotum. Verisimile est illos novum constituisse ordinem, qui non latè diffusus mox exspiraverit. In secundo (connotat hoc lit. G) cui etiam altissimum Templum appositum, & quod reliqua magnitudine & magnificentiâ vincit, fuerunt fratres ordinis S. Benedicti, qui anno millesimo ducentesimo nonagesimo primo Marpurgi habitare cœperunt. In hoc habentur *Collegium Jctorum*, in quo actus Acade-

mici solennes administrari solent, *Consistorium* ut & *Pædagogium*. In
 tertio, (hoc vide sub lit. H.) cui etiam Fanum adjunctum, & quod à
 fratribus ordinis S. Francisci inhabitatum est, collegium habetur *me-*
dicum, ut & *Philosophicum*. In hoc nonnulla admirandorum isto-
 rum ac artificiosissimorum instrumentorum Mathematicorum, qui-
 bus Illustrissimus ac Celsissimus Princeps & Dominus, Dn. Philippus
 III. Hassorum Landgravius, insignis ille Mathematicus, Academiam
 hanc Marpurgensem donavit, asservantur, cætera, quæ Gießæ adhuc
 sunt, brevi quoq; huc apportabuntur. Tria Xenodochia, in quæ pau-
 peres, infirmi, ac ætate confecti recipiuntur, in hac urbe D. Elisabe-
 tha exstruxit, unum apud Ædem Teutonicam, secundum in subur-
 bio, dicto *Weidenhausen*/ inter quod & urbem Lanus, (quem signifi-
 cat lit. I.) interfluit, tertium extra illud. Molas prætereà Marpurgum
 habet varias & insignes: duas frumentarias: unam oleariam, in quâ
 ex seminibus oleum exprimitur: aliam, in quâ papyrus: aliam, in quâ
 vasa cuprea: aliam deniq; in quâ pannus conficitur. Insuper in eo-
 dem multa numerantur fora, intra & extra illud multi fontes, circa
 id multæ, ex quibus saxa domibus ædificandis cæduntur, lapidicinæ.
 Vallo quidem Marpurgum non est munitum, verùm id ejus laudi ni-
 hil detrahit. Non enim approbanda illorum est sententia, qui urbes,
 nisi munimentis firmissimis, veluti aggeribus altis, aquis profundis,
 castellis firmis, fossis latis munitæ sint, ne consistere quidem posse au-
 tumant. Vide Bodin. l. 1. de Rep. c. 6. Illa enim munimina, præterquàm
 quod incolas effoeminatos, impios, securos reddunt, sæpè valdè no-
 xia iisdem sunt. Fit enim multoties, ut illis confidentes hosti, à quo
 obsessi tenentur, urbem dedere recusent, quæ tamen tandem, licet
 munitissima sit, in primis si tormenta bellica adhibentur, multâ cum
 civium cæde à feroce militum victore vi expugnatur, & in totum
 evertitur, uti multarum urbium munitissimarum, præsertim Magde-
 burgi, (proh dolor! Magdeburgi) patriæ meæ quondam florentissi-
 mæ, nunc (eheu!) eversæ, exemplum ad oculum id ipsum demon-
 strat. Idcirco nec veteres talibus munimentis opus esse existimarunt.

Ageſi-

Agefilaus Rex Lacedæmoniorum cum quæreretur, cur Sparta non cingeretur muris? Hi sunt, respondit digitis cives armatos ostendendo, Spartanae civitatis mœnia. Spartanus quidam interrogatus: An urbs Atheniensis pulchris mœnibus cincta esset? Perindè, respondit, ac si à mulieribus habitaretur. Cleomenes oppidum valdè munitum cum videret exclamasse dicitur: ô latebras muliebres! Sed quid peregrinis recensendis immoror? Producam Ludovicum Hassiæ Landgravium, qui, quod perpetuò, ob periculum nobilium, qui contra eum conspiraverant, loricatus incederet, Ferreus est vocatus. Hic cum Fridericus Imperator Friburgum arcem magnoperè extollens hoc sibi tantùm displicere asseret, quod muris cincta non esset, respondisse fertur: De muris se non sollicitum, quippe quos, necessitatis telo urgente, tridui spacio conficere posset. Imperatore id impossibile judicante, Ludovicus omnes Comites, Barones & suæ dittonis nobiles conscripsit, ut optimè armati eâ ipsâ nocte in arcem convenirent. Quod cum factum eos ita disposuit, ut arcem circumcingerent singuli strictis gladiis, quasi jam jam hostem aggressuri, & ubi turris desiderabatur, armatus Comes sese sisteret. Cæsar cum videret arcem tot viris fortibus cinctam, admiratus nunquam se pretiosiorum mutum vidisse exclamavit. Illustre testimonium sanè & Imperatoris & Principis, cui congruit, quod Lycurgus dicere solitus fuit: Nequaquam urbem carere muris, quæ non latericiis mœnibus, sed viris fortibus sit munita. In primis verò notandum hîc, multos arbitrari admodùm inconsultum esse, ut illæ urbes, in quibus Academiae erectæ sunt, muniantur. Ideoq; cum Illustrissimus ac Celsissimus Princeps & Dominus, Dn. Ludovicus Hassiæ Landgravius, Marpurgum à Mauritio Landgravio occupato, de novâ Academia fundandâ, & quidem de loco deliberaret, aliiq; Giesam, urbem superioris Hassiæ munitissimam eligerent, multi restiterunt, quod non consultum esset, Universitatem in munitionibus erigere. Neq; tamen Marpurgum omninò munimentis est destitutum. Habet enim sua, humanâ arte excogitata & manu facta fortalitia, quæ illud contra hostiles im-

petus

petus ac incursiones munitum reddunt, habet sua propugnacula, à
 quibus procul defendi, hostiumq; impetus averti potest adeò, ut si
 rebus ad præsidia alenda instructum est, obsidionem, quam tamen
 Deus benignè avertat, militumq; vim hostilem diu sustinere possit.
 Hæc sunt Marpurgi primordia & incrementa, hæc ejusdem forma.
 Considerandus jam venit situs. Tantùm enim laudis hujus bonitas
 civitati conciliat, quantum vituperii ejusdem vitiositas. Requiritur
 autem ad sitûs *εὐχαιρία* convenientia, amœnitas, aquarum abundan-
 tia, fertilitas & salubritas. Priora duo si defunt, bonitatem sitûs non
 quidem enervant, si tamen adsunt, eandem augent & perficiunt.
 Tria verò posteriora si vel omnia, vel unum illorum saltem, desidera-
 tur, bonitas ista planè expirat. Primò enim aqua maximè necessaria
 est *ad vitam conservandam, ad victum, ad belli pericula avertenda, possuntq;*
homines facilius cujusq; rei penuriam, quàm aquæ ferre. Melch. Junius part.
 2. quæst. Polit. q. 63. Comprobant hoc suo exemplo cives Bethulix:
 Cum enim hi ab Holoferne obsiderentur, & aqua illis deficeret, ita
 premebantur, ut siti ferè enecati deditonem cogitarent, quemad-
 modum legere est c. 7. lib. Judith. Deindè loci fertilitas requiritur, ne
 homines & armenta istis, quæ ad victum necessaria sunt, & sine qui-
 bus vitam agere non possunt, destituta perire cogantur. Eam ob cau-
 sam in exstruendis urbibus fertilitatis ratio potissimùm haberi solet.
 Unde cum Dinocrates Architectus Alexandro M. qui urbem in sue
 laudis ac potentiæ memoriam ædificare decreverat, suaderet, ut eam
 in monte exstrueret, in quo non tantùm naturâ loci munitissima fo-
 ret, sed etiam ita conformari posset, ut humanam assequeretur figu-
 ram, quod ut novum & rarum, ita dignum quiddam ejus gloriâ futu-
 rum esset, quæsiuit ex eodem Rex: Unde cibum illius urbis cives sibi
 comparaturi essent? Respondit ille, se id animo non perpendisse. Sub-
 ridens igitur Alexander eam loco, ob fertilitatem valdè commodo,
 condidit, & Alexandriam appellavit. Tandem loci salubritas, quæ
 partim in aëris, partim in aquarum salubritate consistit, etiam maxi-
 mè est necessaria. Ut enim hæc ad valetudinem civium valdè condu-
 cit: Sic

est: Sic è contrario in salubritas eandem lædit, civitatiq; magna detrimenta in fert, dum eam privat civibus, tanquam membris suis, quæ sine ingenti damno ab illâ, veluti corpore, avelli nequeunt. Idcirco Cambyfes Cyrum filium suum admonere solitus est, si fortè quodam in loco commoraturus esset, ut castra sua in regione salubri metiretur. Marpurgi situm si intuemur, est ille duplex: Communis, quem cum aliis regionibus ac urbibus communem habet, & proprius. Uterq; adeò commodus est & optatus, ut nihil quicquam eorundem perfectioni desit. Nam quod communem attinet, situm est Marpurgum in zonâ temperatâ arcticâ s. Septentrionali. Continetur enim intra tropicum cancri & circulum polarem arcticum, sub nono climate circiter, subq; Ariete, domo Martis secundariâ. Longitudo ejus est graduum triginta duorum, minutorum triginta quinque, latitudo graduum quinquaginta, minutorum quadraginta trium. Declinat igitur magis à viâ Solis seu Ecclipticâ, ideoq; Solis ignibus minus est expositum, quàm illa loca, in quæ ille suos radios perpendiculariter & nimis rectè mittit, neq; etiam intensissimis septentrionalibus frigoribus est subjectum, sicut illæ regiones, in quas Sol suos radios nimium obliquè spargit, sed calorem à zonâ mediâ seu interiori mutuatum, cum frigore à zonis extremis mutuato, temperatum habet, aëremq; ad inhabitandum incolis commodissimum. Et quia magis de naturâ zonæ torridæ participat, alit homines ingeniosiores, quàm regiones istæ, quæ zonis extremis sunt viciniore. Proprium quod attinet, situm est Marpurgum in meditullio ferè Hassiæ, loco valdè conveniente, commodo, jucundo, fertili & salubri. Conveniens est hic locus: Est enim Marpurgum Hassiæ metropolis. Convenit autem metropoli, ut reliquarum civitatum matri, quemadmodum Sol medius est inter planetas, sic medium regionis obtinere locum. Commodus est: Est enim Marpurgum antiqua Principum sedes. Commodum autem, si Principes in medio sui principatûs sedes suas eligunt; Sic enim subditi, si illorum ope indigent, ex omnibus partibus minori cum gravamine ad illos commeare possunt. Hoc probè

C

nove-

noverunt Reges Cappadocum, de quibus Strabo notat, quod locum ad inhabitandum valdè incommodum elegerint, præcipuè, quod istius regionis esset medius. Accedit Principis Cancellariam, à quâ Hassi jus petere solent, hîc esse Marpurgi. Commodè ergò id eo in loco exstructum est, ut omnes ad eandem æq; facilem aditum habere possint. Habet etiam Marpurgum situm longè jucundissimum tam ob hortorum fragrantissimorum abundantiam, quorum ultra duodecim millia numerari hîc, à civibus accepi, quàm montium frequentiam, qui multis arboribus vestiti æstivo tempore umbras gratissimas pariunt, & jucundissimam obambulationibus, meditationibus & studiis commoditatem præbent. Hanc amœnitatem loci eminentia, in quo Marpurgum situm, tantoperè auget, ut multi, qui varias regiones perlustrarunt, vix situm, qui tantâ amœnitate polleat, alium reperiri fateantur. Neq; deest Marpurgo aquarum opportunitas. Præterlabitur enim illud Lanus, fluvius nobilissimus, qui in superiore Hassiæ, in confinio Comitatus Witgensteinensis ex altâ rupe oritur, & ad oppidum *Lanslein* / propè Confluentiam positum, in Rhenum sese exonerat. Hic fluvius anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo ad eò intumuit, ut pontem istum lapideum, qui suburbium urbi jungit, disjecerit, hominum viginti quatuor submersis. Anno millesimo sexcentesimo quadregesimo tertio rursus omnes inundavit campos circumjacentes, in tantum excrevens, ut ad multa cubita sese attolleret. Fontes extra urbem, præter suprâ dictos, numerantur multi, qui omnes ex montibus prorumpentes frigidissimi sunt, saporisq; dulcissimi. Inter hos excellit iste, qui à pago, prope Marpurgum sito, *der Debershäuser Brunn* appellatur, & tanti frigoris est, ut mediâ æstate vix manu tentari possit. Huic præfertur fons Elisabethicus, ante portam Teutonicæ Aedis scaturiens, ex quo Elisabetha pauperum vestimenta lavisse & purgasse dicitur. Inter hos omnes eminentis, qui à pago, cui adjacet, *der Schrecker Brunn* nominatur. Hic unus est ex primariis & nobilissimis Hassiæ fontibus. Scaturit in loco arboribus tecto, tamq; amœno, ut ipsi Hassiæ Land-

gravii

gravii apud illum multoties cibum capere, Professores etiam, ut & Studiosi cuticulam sæpius suam ad eundem curare soleant. Circa illum magna semper copia ferarum, & omnis generis volucrum. Sed quid in laudes hujus fontis excurro? Comprimam me: Satius est ipsa apponere verba, quæ incisa leguntur structuræ, quâ fons iste est ornatus. Deducunt enim ad cognitionem originis ejusdem, & multa, ad dignitatem ejus facientia, complectuntur. Sunt illa, quantum legi potuerunt, sequentia:

Si viator, quid sim, quid portem quæris? Fons sum Divæ Elisabethæ, terram matrem grato rigans fluxu, quâ fagi, quercus, arbusta, fruges & omne genus herbaceum provenit. Hisce . . . & fera refectæ de meis bibunt aquis. Hic volucres recreata sitim ex me leniunt. Sed quid inde sentio commodi? Grata omnia. Quid enim specioso prædictorum aspectu pulchrius? Quid hæc umbrâ gratius? Quid aeris istâ temperie suavius? Quid deniq; volucrum concentu jucundius? Hæc omnia præclaro gratitudinis exemplo mihi cernis retribui. Adde ego livoris præstantiam & gratos aquarum susurros. Itaque unus ex præcipuis dicor Hassiæ fontibus. At quid amplius? Me fruitur omnis Hassiæ terra gens, non plebeja tantum, sed quacunq; è Regum, Principum, Comitum, Nobilium excellenti prodit prosapia. Ex hæc olim D. Elisabeth, Hungariæ Regis filia, Landgravii Ludovici conjux, in pauperes munifica, in quosvis clemens, humilis & patiens, devotis ad Deum precibus ardens, ad me venit sæpius, Deoq; natura, & mihi grata sacellum juxta me posuit, meq; primum simplici structurâ, ut ævi istius ferebant mores exornavit, nomenq; indidit Elisabethicum. Post inter plurimos illustres hujus posteros, Illustrissimus & Potentissimus Princeps Ludovicus, Magni istius Philippi Hessorum Macedonis filius, natalem cum suis proceribus hilari fronte subinde celebrans, meis fruitur amœnitatibus, & ostiolo ob horum memoriam, a vito exemplo, urnâ & solidum Saxum ordine dorico & Ionico elaboratû, anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo sexto. A veto itaq; lector, & si meis & tuis frui . . . commodis ad suppositas leges te componito.

Purus esto, nec me sermonibus obscænis, corpore aut opere polluito, aut turbato, Saxum, aream, structuramve meam ne ledito, æstum, si urget, hinc vitato, sitim extinguito & lavato, murmure & susurro, reliquisq; amœnitatibus fruitor, Deumq; authorem meum celebrato. Hæc ibi.

Intra urbem, ut nihil dicam de privatis, decem fontes publici sunt, qui omnes ex fonte, post pagum, *Marbach* vocatum, è monte proficiente, per canales longissimè in eandem introducuntur. Aqua hujus *Marbachian* fontis est limpidissima, hyberno tempore adeò calida, ut manum immissam calefaciat, æstivo verò ita frigida, ut eandem frigefaciat. Ob distantiam autem ab urbe in oppidanis fontibus paululum est remissior. Antequam enim in urbem venit, mille quadringentos canales transit, quorum singuli septem fermè pedum Architectonicorum longitudinem habent. Fundo *Marpurgum* gaudet fertili & fœcundo, qui omnia, ad sufficientem alimoniam necessaria, & ad delicatiorem quoque vitam conducentia, tam affluenter producit, ut quotannis multa de iisdem ad futuram necessitatem recondi possint. Lanus, qui *Marpurgum* præterfluit, plurima lectissimorum & delicatissimorum piscium genera largissimè suppeditat, ut exiguo pretio hinc vendantur. Montes & sylvæ etiam suas habent divitias, ingentem scilicet multitudinem avium sylvestrium & ferarum, quarum venatione tamen vulgo interdictum, solo Principe id juris sibi vendicante. Nec quicquam ubertati hujus loci deest, nisi quod non sit ferax vini, quod tamen à *Rheno*, *Nicro*, ex *Franconiâ* & quibusdam *Hassia* locis, *Rhenum* contingentibus, magnâ copiâ hinc advehitur. Quod dico de parte *Hassia*, id etiam de totâ dico. *Memoriæ* mandarunt nonnulli antiquorum scriptorum, *Hassiam* esse regionem sterilem, incultam, maximisq; desertis circumdatam. *C. Cornelius Tacitus* de morib. German. non eam solùm, sed totam germaniam *terris* esse *informem*, *cælo asperam*, *cultu aspectuq; tristem*, *humidam*, *ventosam* & *in univsum aut sylvis horridam aut paludibus fœdam*, *frugiferarum arborum impatientem*, & *propterea vilem despectamq; ab omnibus* posteritati reliquit. Verùm ut de *Germaniâ*, quæ omnium
confes-

confessione nulli regioni totius terrarū orbis amœnitate, fertilitate, & cœli clementiâ cedit, nihil dicam, quis, nisi hospes planè in iis, quæ superioribus acciderunt annis ignorat, tantum omnium rerum necessariorum proventum in Hassiâ esse, ut vicinorum sæpè populorum, qui etiam terram admodum opimam inhabitare creduntur, necessitati sublevandæ fuerit sufficientissimus? Quis, nisi interiora Hassiæ nunquam contemplatus, nescit agros Hassiacos, quamvis in hoc Martis furore & ipsi & eorum cultores hostilia quævis perpeti cogantur, esse feracissimos? Quod si ergò reviviscerent suprâ dicti auctores, & qui cum illis faciunt, atq; oculis Hassiam inspicerent, sensuum iudicio convicti, næ haud inviti faterentur, se vel respectum ad alias habuisse regiones, vel nimis fuisse credulos ac faciles in tradendis iis, quæ per rumorem accepissent, quæq; Hassis, tanquam hostibus suis acerrimis, opprobrio esse possent, vel etiam Hassiam hodiè aliam factam, & sterilitatem istam in fertilitatem esse mutatam. Postremum hoc si quispiam dixerit, non repugnabo acriter. Sic enim placet divinæ clementiæ non semel & simul, sed sensim sua effundere bona. Vel, ut Homeri verbis hoc efferam:

Ἄλλ' ἔπεισ' ἅμα πάντα θεοὶ δόσαν ἀνδρῶποισιν

Nulla modo simul omnia Dii dant hominibus.

Multa ipse in Hassiâ loca vidi, quæ non multos ante annos infrugifera & paludosa, incolarum studio jam sunt fertilissima. Cujus verò animum hodiè prava hæc opinio opplevit, aut qui hos ineptos rythmos de Hassiâ effudit:

Im Lande zu Hessen /

Ist wenig zu beissen noch zu essen.

Eum poëtastrum miserum vel nunquam Hassiæ oras attigisse, vel sensibus fuisse privatum, vel ex unius loci conditione de totâ regione perperam judicasse oportet, non secus ac Justus Lipsius, Philologus

C 3

ille

ille celeberrimus, cum tempore quodam in sordidum Westphaliæ
 locum veniens, ex pecuniæ forsan penuriâ in *πενδοχέιον* aliquod, ubi
 sordities cum ipsâ certabat penuriâ, sese reciperet. Ibi vir ille magnus
 ex animi impatientiâ epistolam quandam conscripsit, in quâ ex unius
 hospitii illius rusticitate totam Westphaliam metitur, ac eandem
 provinciam vocat *gregibus, quàm Regibus pascendis aptiorem, Scytharum
 eremiam, barbariam supra omnem barbariam barbaram*; Ipsos Westpha-
 los, *Scrofas, pultiphagos, suillos, Porcios, homines semi-homines*; Illorum
 diversoria verò *haras &c.* Sed quàm malè hoc in casu egerit, aliâ in
 epistolâ Domannus eum eruditè docuit. Tandem Marpurgum situm
 est tali in loco, quo alius vix potest esse salubrior. Primò namq; frui-
 tur aère puro & salutari. Conditum enim est non in loco quodam
 palustri aut cavernoso, qui multas spirare solet exhalationes veneno-
 sas ac putres vapores, quibus infectus aër febres, pestes, aliosq; mor-
 bos causatur, sed in loco eminentiori, & quidem tali, qui ventis
 orientalibus & septentrionalibus patet. Illæ autem urbes, quæ ad
 Orientem & Septentrionem sunt conversæ, & ad eos ventos, qui in-
 de perflant, ipso attestante Aristotele lib. 7. Politic. cap. 11. sunt salu-
 brior. Hi enim venti aërem purgant, & ab halitibus noxiis & mali-
 gnis liberant, proptereaq; rariùs, quàm aliis in locis hîc morbi acuti
 grassari solent. Deinde etiam hæc urbs aère fruitur libero. Licet
 enim montibus sit circumseptâ, hi tamen aëri libertatem non adi-
 munt, tum quia illa in loco, in sublime sensim consurgente, posita est,
 tum quia illi longiùs ab eadem distiti, quàm ut aërem occludere &
 coarctare possint. Deniq; Marpurgum aquarum salubritate est feli-
 cissimum. Nam Lanus, quem illud præterlabi suprâ diximus, ut de
 fontibus, qui omnium incolarum confessione hujusmodi sunt, si-
 leam, fluvius est saluberrimus. Non enim à lacunis suum ortum tra-
 hit, nec à metallis, sed ex alto & prærupto monte, abundat piscibus,
 est odore & sapore dulci, colore limpido, motu veloce, pondere levi,
 quæ omnia aquæ salubris apertissima sunt indicia. Pèplo silentii jam
 involvo, quosdam huic fluvio tantam ascribere potentiam medi-
 cam,

cam,

cam, ut illum plorant & alias impetigines sanare aſſerant, nec ullum tantâ laborare ſcabiæ, qui ſemel & iterum in eo lotus, non ocyſſimè curetur. Hæ ſunt hujus loci commoditates, quibus non antiqui tantum Catti ſunt permoti, ut urbem in eodem conderent, ſed poſteri quoq; ut eandem sæpè deſolatam reſtaurarent. Hæc ſunt iſta dona Marpurgo à naturâ conceſſa, à quibus ad incolas, iſtis naturæ donis fruentes, digredimur. Ut enim illi civitatem valdè dedecorant, ſi ſunt mali, ſic valdè decorant, ſi boni & honeſti. Idcirco Ariſtoteles eam civitatem beatam vocat, cujus cives ſunt beati. Sunt autem hi beati, ſi veræ pietatis amantes & virtutum Studioſi. Pietas in reverendo cultu religionis conſiſtit. Unde hæc ad civitatis beatitudinem neceſſariò requiritur. *Vbi enim religio, ibi locum habent bonæ leges ac bona diſciplina, ex quibus fortunati, felicesq; rerum eventus, in expeditionibus præſertim bellicis naſcuntur. Sicuti contra ſublata religione, corruere Rempubl. oportet, quoniam ſublato Dei timore, ſequitur impietas, ex eaq; ruina imperiorum,* ſicut admodum præclare & ſapienter ſcribit Machiavellus lib. I. diſp. de Republ. cap. II. Hanc ſententiam ipſe Ariſtoteles, Philoſophorum ille Coriphæus, ſuo calculo comprobat, dum *Ἐπιμέλειαν τοῦ Θεοῦ* ſtudium ſ. curam circa divina, id eſt, pietatem ſ. religionem illis, quibus ſine urbes non ſubſiſtunt aut ſubſiſtere poſſunt, annumerat. Obſerves autem velim, non hîc intelligi religionem corruptam, ſed puram & ſinceram. Etenim hæc demum omnis honeſtæ vitæ ac honeſtarum actionum, ſicut è contrario illa omnium pravarum fons & origo exiſtit. Nam, ut rectè quidam Patrum loquutus eſt, *malè vivitur, ubi de Deo non benè creditur.* At ibi nulla beatitudo, ubi malè vivitur. In ſtudio enim & actione virtutum illam fundatam eſſe, omnium, tam antiquorum quàm neotericorum, publicis judiciis recepta atq; conſenſionibus approbata eſt ſententia. Sufficiat protuliſſe unicum teſtimonium, idq; aureum verè Machiavelli, viri illius eruditiffimi. *Pro certo, ait ille d. I. cap. 17. ſtatuerè oportet, civitatem eam, in quâ mores hominum valdè depravati ſunt, non poſſe conſervare ſibi libertatem, ſi eam occupaverit.* Et quomodo civitas ob populi corruptelam ad interitum declinet,

declinet,

declinet, ipse Regum Romanorum exemplo ibidem commonstrat, qui nisi Româ expulsi essent, urbem debilitari & pristinam virtutem roburq; amittere, necessum fuisset. Considera, inquit, quàm pravis corruptisq; moribus essent Reges illi? Quod si eadem corruptela ad tertium usq; successorem propagata fuisset, facile serpsisset etiam in populum, eoq; infecto, nunquam potuisset civitas restaurari, & vires, virtutemq; suam recuperare. O beatissimum igitur Marpurgum, in quo non tantum cultus sani; sed & solius sani, non tantum religionis puræ; sed & solius puræ exercitium floret! Non hîc videmus celebrari Missas. Exulant hîc Anabaptistæ, exulant Photiniani, & qui non hæretici? Paucissimi Reformatorum tolerantur, qui tamen cultum publicum non exercent, sed nostra frequentant Tempora, nostrisq; interfunt sacris, unde fit, ut multi, dogmatibus Calvinii, ipsiusq; asseclarum rejectis, veram & in verbo divino fundatam fidem amplexentur. Judæorum quoq; unus & alter ob conversionis spem hîc tolerantur, publicus tamen conventus ipsis non conceditur, sed statutis temporibus in curiam convenire coacti, in verâ, de Messiâ nostro doctrinâ, ibidem instituuntur. Incolæ Marpurgi quinam sint, si scire desideras, fuerunt isti quondam sicut nos omnes, sine Deo, puta vero, sine Christo, ab alienati, ut cum Apostolo loquar, à Politiâ Israël, servientesq; illis, qui naturâ non Dii erant. Sed immensâ Clementissimi Dei clementiâ, inenarrabiliq; ejus benignitate in familiam Christi adoptati, cohæredes & consortes promissionis per Evangelium facti sunt ministerio pientissimi Episcopi Bonifacii, anno salutis nostræ septingentesimo decimo sexto. Ab illo die Christi amatores fuerunt sinceri, in iis, quæ ad fidem spectant, religiosissimi, hæresum verò, etiam cum sub Papatu adhuc viverent, persecutores acerrimi. Hoc confirmant annales, qui testantur, ut unum & alterum exemplum proferam, anno ab orbe redempto millesimo ducentesimo trigesimo tertio multos hæreticos illâ in plateâ, quæ vocatur *der Kesserbach* (unde & illa hoc nomen adeptum est) combustos esse, quod hæresin suam, quam aliis in locis tanto cum progressu dispergebant, ut etiâ Barones, Nobiles, Sacerdotes

ac

tes ac alios, haud vulgaris notæ viros, in eandem pertraherent, hîc quoq; Marpurgi disseminare anniterentur. Fuerunt Marpurgenses inter primos, qui doctrinam per Lutheri ministerium à Pontificiis erroribus repurgatam, cum vitæ & fortunarum discrimine, singulari zelo & devotione receperunt. Initium hæc reformatio Marpurgi cœpit anno *χρυσόγονίας* millesimo quingentesimo vigesimo septimo, sub Landgravii Philippi auspicio, primusq; purioris doctrinæ buccinator & Superintēdens Marpurgensis fuit M. Adamus Fulda. Anno millesimo quingentesimo vigesimo nono, circa Festum S. Michaëlis, habitum hîc est colloquium de Sacrà Cœnâ inter Lutherum & Zwinglium, jussu ejusdem Principis. Interfuerunt ei à Lutheri parte Philippus Melancton, D. J. Jonas, D. Andreas Osiander, D. Johannes Brenzius, D. Stephanus Agricola. A parte Zwinglii, Oecolampadius, Bucerus & Hedio. Soli autem Lutherus & Zwinglius fuerunt collocutores. Anno æræ Christianæ millesimo quingentesimo trigesimo nono Ædes Teutonica à Pontificiis sordibus repurgata est. Primæ cōcioni Evangelicæ, quæ illo anno in Dominicâ *Exaudi* ad populum habita est, præter Philippum Landgravium, aliosq; nobiles, Academiae Professores & civitatis Senatum, bis mille octingenti hominum interfuisse dicuntur. Illâ finitâ Princeps ille nunquam satis laudatus, sacrarium, in quo Elisabethæ monumentum erat, à Commendatatio ordinis Teutonici sibi reserari jussit. Quod cum factum esset, Philippus sepulchrum aperiens, Elisabethæ ossa, quæ in eodem purpurâ Damascenâ involuta invenit, unâ cum capite, quod in aliâ appositâ arcâ reconditum erat, ulteriorem superstitionem præcavendi gratia, terræ gremio clâm, duobus tantùm consciis, demandari præcepit. Ab illo tempore incolæ hujus urbis altiores indies radices tam cognitionis in fide purâ quàm amoris erga eandem egerunt, & quas hæresium Zizanias ex cordibus suis eradicaverant, illis civitatem infici piaculum existimârunt in hoc toto incumbentes animò, ut istud puræ doctrinæ *κειμήλιον* ceu pretiosissimum thesaurum ad posteros incorruptum transferrent. Unde cum anno à Redemptione no-

D

strâ

strâ millesimo sexcentesimo quinto Mauritius, Hassiæ inferioris
 Landgravius, novam religionem in eam introducturus, Gregorium
 Schönfeld / Superintendentem Castellanum, Valentinum Schöne-
 rum, Superintendentem Ziegenhainensem, aliosq; istius religionis
 Pastores institueret, maluerunt Professores, invariata Confessione
 Augustanæ addicti, Professione sese abdicare, & qui alii in officiis pu-
 blicis vixerunt, dimissionem à Mauritio petere, quàm eandem susci-
 pere. Quidam, cum Valentinus Schönerus, concionem ad popu-
 lum habiturus, suggestum ascenderet, aures occludentes ac longè
 longiùs fugientes ne audire quidem concionantem sustinuerunt, lau-
 dandi in hoc, quod illum ipsum, quem Deus in lege ipsis præscripsit,
 falsis Doctoribus resistendi modum observare voluerint. *Quod si,*
inquit ille, in medio tui Propheta surrexerit, qui dicat tibi: Ibimus ad Deos
alienos, quos non novisti, & serviemus iis. Non audies verba huius Propheta,
quia tentat Jehovah Deus vester vos, num amantes sitis Dei Domini vestri
in toto corde vestro & in totâ animâ vestrâ. Reliqui eum de suggestu de-
 jectum pedibus conculcarunt, & hic, nisi quorundam studiosorum
 ope ex manibus illorum evasisset, cæteri, nisi fugâ sibi salutem quaesi-
 vissent, omnes internecioni dati fuissent. An horum hoc inceptum
 laudem mereatur, jam non disputo. Id tamen certum manet, quic-
 quid egerunt, illud ipsos egisse animo, amore & studio erga religio-
 nem incorruptam, odio autem plusquam Vatiniano, in corruptam
 ardente. Juventus tantâ cum industriâ in omni pietate hîc educatur;
 Pueri & puellæ cum publicè in Scholis & in Templis, statutis diebus,
 rum Privatim in Catechismo, aliisq; pietatis exercitiis tantâ cum se-
 dulitate & fidelitate, quâ vix in civitate aliâ, exercentur. Adhæc, si re-
 liquas virtutes spectas, diceres, cives Marpurgenses naturâ illarum
 dotibus esse instructos. Omitto illos esse honestos, bonos, in periculis
 impavidos. Missum facio illos esse urbanos, civiles. Taceo, quàm sint
 laboriosi; Singularem verò istam ac inusitatam, quam ab antiquis
 diebus suo Magistrato præstiterunt, fidelitatem tacitus nullo modo
 præterire possum. Quidvis enim, quod carni molestum est, potius
 perferunt,

perferunt, quàm ut perfidè quicquam contra eum faciant. In hoc premunt vestigia patrum suorum, quorum fidelitatis erga Magistratum, cœlitùs ipsis propositum, illustre specimen brevibus enarrabo. Hermannus, Hassiæ Landgravius, qui seculo à Christo nato decimo tertio vixit, regimen cum susciperet, conspirarunt in eum Otto Dux Brunsvicensis, & cum eodem multi Comites, ac pleriq; Nobilium Westphaliæ, Saxoniam, Franconiam atq; Hassiam, non se deposituros arma, priusquàm Hermannum, quem per ignominiam, quod artium liberalium Magister esset, Baccalaureum appellabant, debellassent. In signum hujus conspirationis stellulas gerebant argenteas, inde die *Sternen* nuncupati. Hi omnibus tantùm metùs injecerant, ut ipsi quoq; aulici Landgravii latenter illas stellas portarēt, quo fortè capti aut prælio victi societate illorū simulare possent. Hermannus cognoscens hostes suos indies ac indies invalescere, & totam ferè Hassiam esse occupatam, arma contra illos sumpsit, adjutus auxilio Landgravii Thuringensis, Marggravii Misniensis & Comitis Nassoviensis. Victus autem Marpurgum venit, & cives convocatos in fori medio apud fontem alloquutus, ipsisq;

multa gemens, largoq; humectans flumine vultum

suam conquestus est fortunam: Totam regionem sibi creptam, tot hostes potentissimos imminere, potissimam subditorum suorum partem contra ipsum conjurasse, illorum, qui fideles ipsi permanserint, adeò exiguum esse numerum, ut unico teruncio omnes pascere possit, confugere se igitur ad illos, eorumq; implorare auxilium. Hi, lachrymis obortis, non tantùm omnem opem, sed ipsam quoque vitam eidem sunt polliciti, & contra hostem egressi tantâ cum fortitudine ac felicitate pugnaverunt, ut multi supplices facti culpam deprecari, quàm prælium inire mallent, reliqui parvo tempore funditùs delerentur. En memorabile ac illustrissimum summæ fidelitatis & fortitudinis simul exemplum. Tota Saxonia, tota Westphalia, tota Franconia & ipsa etiam Hassia contra Hermannum conjuraverant, omnes subditi ab eodem defecerant, ipse, externo adjutus milite

D 2

prælio,

prælio erat victus, omnis ferè Hassia occupata, multæ urbes incendio
 deletæ, soli cives Marpurgenses, cum nonnullis aliis quarundam ur-
 bium Hassiacarum, fidem, quam suo Magistratui debebant, sanctam
 & illæsam servantes, quicquid ipsis charum & carum posthabitis, pro
 eodem laborante & in summis angustiis constituto fortiter & felici-
 ter dimicarunt. Hæc, credite, plurimum ad laudem, decus & gloriam
 Marpurgi faciunt, quibus si addere vellem illa memorabilia, quæ in-
 tra & extra illud gesta, valdè id extollunt, bone Deus, qui campus, in
 quo excurrere & exultare possem, sese mihi offerret; sed ante oculos
 versatur *Academia*, quæ me ad se rapiens hæc minora relinquere ad-
 hortatur. Meritò illa præcipuis, quibus hæc urbs nitet, ornamentis
 accensetur. Quantoperè enim *Academia*, præsertim, si illustres ac
 celebres sunt, urbes efferant, quàm insignes easdem reddant, res ipsa
 clamans id multis demonstrari prohibet. Quid igitur de Marpurgo
 dicemus, quod *Academia* condecoratum est, & quidem *Academia*
 longè inclytissimâ ac illustrissimâ. Illustrissima illa est ob fundatorem,
 quem habuit Illustrissimum. Fundavit enim eam cum perpetuo sui
 nominis honore & gloriâ, anno millesimo quingentesimo vigesimo
 septimo, Philippus Hassiæ ille Achilles, Princeps, qui virtutibus &
 magnanimitate nulli fuit secundus, Princeps cujus facta laudabilia
 ne Ilias capere potest. Hic est ejus Patronus & fundator. Privilegiis
 autem eandem demùm anno millesimo quingentesimo quadragesi-
 mo primo ornavit summa Augustissimi & Potentissimi Imperatoris
Caroli V. clementia, quo anno etiam promulgata & Studiosis publi-
 cè prælecta sunt à *Johanne Feig*, Philippi Landgravii Cancellario, qui
 eadem à Majestate Cæsareâ obtinuerat. Fuerunt ista amplissima, quæ
 non solum honores Academicos ceremoniis solennibus conferendi
 licentiam dederunt, sed etiam illos ipsos, qui antequam hæc *Acade-*
mia privilegiis istis gauderet, collati erant, ratos habuerunt & confir-
 marunt. Postmodum circa annum millesimum sexcentimum tri-
 gesimum secundum, moderante Sceptra *Academica* *Theodoro Höp-*
ping, J. U. D. & Eloquentiæ Professore, Augustissimus Imperator
Ferdinan-

Ferdinandus II. privilegia illa valdè adauxit ex singulari gratiâ ac clementiâ, quâ huic Academia addictus erat, quod ex eadem multa prodirent scripta, è quibus singulares fructus & utilitates ingentes omnis Respubl. Romana capere posset, conferens Decano Facultatis Juridicæ dignitatem Palatini Comitum, potestatemq; legitimandi, insignia distribuendi, Notarios, Poëtas Laureatos &c. creandi, & quæ alia Comitum Palatini solent esse jura. Illustrissima etiam hæc est Academia ob Rectores, quibus gubernari solet, Illustrissimos. Constat de Universitate Lipsiensi, quod quibusdam vicibus habuerit Rectores Magnificentissimos, veluti anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto *Vlricum*, Ducem Sleswici & Holsatiæ, regniq; Norwegiæ hæredem; Anno millesimo sexcentesimo secundo *Philippum Julium* Stetini & Pomeraniæ Ducem, & biennio post *Adolphum Fridericum*, Ducem Megalopyrgicum. Hinc illa est valdè celebris. At palmam ipsi præripit Marpurgensis, in quâ hisce tribus novissimis annis, de præcedentibus nihil dicam, continuâ ferie Rectoratus per Illustrissimos administratus est, ut anno millesimo sexcentesimo quadagesimo tertio per Illustrissimum ac Celsissimum Principem & Dominum, Dn. *Ludovicum Juniozem*, Hassiæ Landgravium &c, qui, cum Sceptra Academica susciperet, elegantissimâ oratione studiosos publicè alloquebatur, in quâ illis omnem clementiam ac favorem promittebat, & ad sedulam statutorum Academicorum observationem eos adhortabatur. Ab illo, sequenti anno 1644, ad Illustrissimum & Celsissimum Principem ac Dominum, Dn. fratrum *Georgium Juniozem*, Hassiæ Landgravium &c. illa Sceptra devolvebantur. Huic, præfenti hoc anno, successit Illustrissimus ac Celsissimus Princeps & Dominus, Dn. *Ernestus Augustus*, Dux Brunsvicensis & Lünæburgensis &c: qui hoc suum regimen, gravitatem singulari cum humanitate temperando, ita moderatur, ut omnes tam Procures, quam cives Academici eundem admirantes, de tali Rectore sibi congratulentur. Hi sunt illi hujus Academiae Magnificentissimi, quibus anno futuro, si Deus illam conservaverit, quartus accedet, quem prope-

diem expectamus. Hi Principes, unâ cum Comitibus illis novem,
 nec non Barone isto Universitatem hanc in quâ studiorum gratiâ de-
 gunt, illustrissimam & præ aliis totius Germaniæ Universitatibus ce-
 leberrimam reddunt; quippe in quarum nullâ tot simul personæ illu-
 stres literis operam navant. Illustris tandem est, ob viros quos habuit
 à primo foundationis die in quovis doctrinarum genere excultissimos,
 ac scriptis publicis clarissimos. Theologiam professi sunt: Franci-
 scus Lambertus, Avenionensis Gallus. M. Adamus Crafft, Fuldenfis.
 M. Erhardus Schnepfius, Heilbrunnensis. Gerhardus Noviomagus,
 Geldrus. D. Andreas Hyperius, Flander. D. Johannes Draconytes,
 Caroloftadius. D. Wigandus Orthius, Wetteranus. D. Johannes
 Lonicerus, Ortheranus. M. Johannes Garnerius, ex Galliâ oriundus.
 D. Henricus Vietor, Fridbergensis. M. Henricus Orthius, Calernius.
 D. Nicolaus Rodingus, Treifensis. D. Johannes à Waltmanshusen,
 Hassus nobilis. D. Ægidius Hunnius, Wittenbergensis. M. Bartho-
 lomæus Meyer. D. Daniel Arcularius, Cassellanus. D. Johannes
 Winckelmannus, Homburgensis Catto. D. Balthasar Menzerns,
 D. Gregorius Schönfeld. D. Johannes Crocius. D. Casparus Stur-
 mius. D. Raphaël Eglinus. D. Johannes Steuberus.

Jura publicè professi sunt: Johannes Ferrarius, Montanus
 Amelburgensis, Theologiæ Baccalaureus, Medic. Licent. J. U. D.
 Professor Primarius, primus Academiæ hujus Rector & Vice-Can-
 cellarius. Balthasar Clammerus, Bavarus. J. U. Lic. postea Consilia-
 rius factus Ducis Brunsvicensium & Lünaburgensium. Johannes
 Rudelius, Francofurtensis, J. U. Doctor. Justus Studæus, Elsanus,
 J. U. D. Johannes Oldendorpius, Hamburgensis. J. U. D. Prof. Prima-
 rius. Johannes Lersnerus, Marpurgensis, J. U. D. Ambrosius Schu-
 rerius. J. U. D. Christophorus Brechterus, Argentoratensis. J. U. D.
 Jacobus Lersnerus, Marpurgensis. J. U. D. Academiæ Vice-Cancella-
 rius. Christophorus Lersnerus, Marpurgensis. J. U. D. qui relictâ hâc
 Academiâ cooptatus est in numerum Consiliariorum Ducis Megalo-
 politani,

politani, postea urbis Brunsvicensis Syndicus factus, tandem Marburgum rediens, ibi privatus vixit. Ægidius Mummerius, Limburgensis. *I. V. D.* Camerae Imperialis, quae Spirae est, Assessor factus. Wigandus Happelius, Marpurgensis. *I. V. D.* Hieronymus Turlerus, Dresdensis Misnicus. *I. V. D.* Nicolaus Vigelius Treisensis Hessus, *I. V. D.* Hermannus Lersnerus, Marpurgensis. *I. V. D.* Acad. Vice-Cancellarius. Antonius Heisterman, Brakelensis Westphalus. *I. V. D.* Prof. Primarius. Valentinus Forsterus, Wittenbergensis. *I. V. D.* Prof. Prim. Hic Marpurgo discedens factus est Prof. Heidelbergae, inde vocatus ad Academiam Juliam, quae est Helmstadii. Regnerus Sixtinus, Frisius. *I. V. D.* qui successit D. Forstero in primariatu, summi Dicasterii Hassiaci Assessor. Bernhardus Copius, Stromburgensis Westphalus. *J. U. Doctor*, ejusdem Dicasterii Assessor. Hermannus Vultejus, Wetteranus Hessus. *I. V. D.* ejusdem Judicii summi Assessor & Prof. Prim. Philippus Matthæus, Marpurgensis. *I. V. D.* Joannes Goeddeus, Svertensis Westphalus. *I. V. D.* Godefridus Antonii, Freundenbergensis Westphalus. *I. V. D.* Christophorus Deichmannus, Steinfurtensis Westphalus. *I. V. D.* Antonius Matthæus, Marpurgensis. *J. U. D.* Ulricus Helvricus Hunnius. *J. U. D.* Acad. Procanc. Antonius Nessenus, *J. U. D.* Prof. Primarius & Academiae Vice-Cancellarius &c.

In Facultate Medicâ Professores fuerunt. *D.* Ericus Cordus, Simeshusius. *D.* Thomas Zegerus, Clivensis. *D.* Nicolaus Blecherus, Smaicaldianus. *D.* Theodoricus Dorstenius, Westphalus. *D.* Janus Carnarius, Zwiccaviensis. *D.* Johannes Dryander, Wetteranus Hessus. *D.* Burchardus Mithobius, Hamburgensis. *M.* Philippus Dorstenius, Marpurgensis. *D.* Volquinus Vigelius. *D.* Georgius Marius. *D.* Henricus Botterus, Hollandus. *D.* Johannes Wolfius, Marpurgensis. *D.* Hermannus Wolffius, Marpurgensis. *D.* Nicolaus Bruno. *D.* Henricus Hellenberger. *D.* Paulus Cellarius. *D.* Johannes Hartmannus. *D.* Henricus Petraeus. *D.* Johan Petrus Lotichius &c.

In Phi-

In Philosophiâ . & quidem in Ethicis, *M.* Matthæus Philocappella. *M.* Petrus Nigidius. *M.* Meno Hannekenius. Jeremias Cauisenius. *I.V.D.* Johannes Sigisfridus Planckenheim. *I.V.D.*

In Physicis : Antonius Niger, *Med. D.* *M.* Petrus Nigidius. Nicolaus Sascherus, *D.* Johannes Magirus, *D.* Christophorus Muldenerus. Nicolaus Bruno, *Med. D.* Johannes Combachius. *M.* Johan - Henricus Tonsor. Petrus Haberkorn. *S. Theol. D.* Johan Conrad Schragmüller, *S. Th. D.* *M.* Laurentius Henricus Geibelius.

In Matthesi. Thomas Zegerus, *Med. D.* Michaël Blecherus, *Med. D.* Johannes Dryander, *Med. D.* Christianus Sturmius, *Med. D.* Cuilhelmus Cratorolus. *Med. D.* Victorinus Schönfeld. *Medic. D.* Adamus Lonicerus. *D.* Johannes Hartman, *Med. D.* Rodolphus Goclenius, Junior, *M. D.* Ernestus Mylius. Jacobus Müllerus, *M. D.*

In Logicis: *M.* Casparus Rodolphus, Kanstadenſis. *M.* Benedictus Aretius Bernas. Johannes Beuterus. *M.* Theophilus Heidenricus Lonicerus, Marpurgensis. *M.* Rodolphus Goclenius, Corbachianus.

Historiarum Professores fuerunt : Gerhardus Noviomagus. *M.* Johannes Glandorpius, Monasteriensis. *M.* Josephus Lorichius, Hadamarius. *M.* Johannes Ferinarius, Uratislaviensis Silesius, Pædagogiarcha. Hermannus Kirchnerus. *I.V.D.*

Eloquentiæ: Hermannus Buschius, Dulmenſis Westphalus. Elius Eobanus Hessus, Bottendorffensis. *M.* Reinhardus Lorichius, Hadamarius. *M.* Petrus Plateanus, Brabantinus. Theobaldus Gerlachius, Billicanus Nordlingensis. *I.V.D.* Nicolaus Asclepius, Cassellanus. *I.V.D.* Conradus Matthæus. *I.V.D.* Hermannus Nigidius, Marpurgensis. *I.V.D.* Theodorus Höpping. *I.V.D.*

Linguam Hebræam Professi sunt: Sebastianus Augustus Nützenus, *I.V.D.* Wigandus Orthius, *S. Theol. D.* Georgius Sohnus, *Th. D.*

Th. Doct. Wigandus Happelius, I. V. D. Justus Valtejus, Wetteranus, Pædagogiarcha. M. Johannes Schollus, Battenburgicus Otto Gualperius, Rotenburgensis. Iohannes Moltherus, Battenburgicus, S. Theol. D.

Græcam: Iohannes Lonicerus, Th. D. Bernhardus Copius, I. V. D. Christophorus Cramerus, Allendorffensis. Otto Gualperius. M. Theodorus Vietor, Pædagogiarcha.

Poëseos Professores fuêre: Hermannus Buschius. Ericus Cordus. Eobanus Hessus. Hermannus Ulnerus, I. V. D. Nicolaus Asclepius, I. V. D. Petrus Paganus. Hermannus Kirchnerus. D.

Hi fuerunt illi, qui in Academiâ hâc publicè docuerunt, omnes viticeleberrimi ac literis insigniter eruditi, quorum fama nunquam immorietur, memoria nunquam intercidet, honos laudesq; manebunt,

*In freta dum fluvii current: dum montibus umbra
Lustrabunt convexa: polus dum sydera pascet.*

Hodierni Professores sunt in Facultate Theologicâ: Iustus Fewrbornius, S. Th. D. & Ecclesiastes. Meno Hannekenius, S. Th. D. Hebr. Ling. Prof. & Ecclesiastes. Ioh. Henricus Tonfor, S. Th. D. & Pædagogiarcha.

In Facultate Iuridicâ: Iohannes Gualtherus, I. U. D. Consil. Profess. Codicis, & p. t. Pro-Rector. Iustus Sinolt, cognomento Schüss / I. U. D. Consil. Acad. Pro-Cancellarius, & Prof. Primarius. Iohannes Breidenbach / I. U. D. Consil. Iohannes Koinmannus, I. U. D. Consil. & Pandectarum Prof. Gregorius Tulsnerus, I. U. D. Consil. & Instit. Prof.

In Medicâ: D. Ioh. Daniel Horstius, Darmstadinus Archiater. D. Johan. Tilemannus.

E

In

In Facultate Philosophicâ: *M. Conradus Bachmannus*, Poët. Prof. *M. Casparus Ebelius*, Log. & Metaph. Prof. *Iohan Balthasar Schuppius*, S. Th. Licent. Eloq. & Hist. Prof. ad D. *Elisab. Ecclesiastes*. *M. Iohan Conradus Dietericus*, Græcæ Ling. Prof. *Balthasar Menzerus*, S. Theol. D. & Philosophiæ moralis Professor. *Jacobus Le Bleu*, L. M. Lic. Linguarum Exoticarum Prof. *Iohan Daniel Horstius*, Med. D. Physicam profitetur. *M. David Christiani*, Math. Prof. *M. Cunradus Matthias*, Philologo-Criticus.

Hi sunt isti viri Clarissimi, qui hoc die magnâ cum laude & insigni discentium fructu in hâc Academiâ publicè docent. Hi sunt illi viri, sub quibus eadem omnibus floret studiis, ut Theologico, Juridico, Medico & Philosophico. De aliis, quæ hîc vigent, exercitiis nihil dicam. Silentio præteribo, Illustrissimum & Celsissimum Principem ac Dominum, Dn. Georgium Hassiæ Landgravium, Dominum meum Clementissimum, hîc alere edoctos artem equitandi, saltandi, digladiandi &c, hunc in finem, ut copia sit in iis semet exercendi, quibuscunq; placet. Exulant hîc omnes schoristicæ ac pennalisticæ, ut vocantur, actiones seu divexationes: Non audiuntur tempore nocturno horridi clamores & vociferationes: Non conspiciuntur commestationes aut alii tumultus barbarici, sed, est hâc Academia pietatis & honestatis vera officina, in quâ commodiùs, minoriq; cum impedimento, quàm in ullâ aliâ, Musas, qui volunt, colere possunt. Præter Academiam etiam Marpurgum exornatum est Pædagogio (Scholâ optimè cõstitutâ in quâ Juventus, in linguis (Latinâ & Græcâ) Poësi, Rhetoricâ & Logicâ fidelissimè informatur. Quantum autem beneficium, quantum donum divinum Schola benè constituta sit, quia mortali eloquio pro dignitate id satis exprimi nequit, leviter tantùm attingam. Scholis sanè nihil potest in urbe inveniri præstantius, nihil optari utilius, nihil dici magis necessarium. Imo, ut multa non multis efferam, sunt Scholæ ipsi fontes, ex quibus

quibus beatitudo dimanans sese in omnes Respubl. diffundit. Tum enim demum eas beatas esse dicit Plato, si aut, qui illarum gubernacula tractant, philosophentur, aut, qui Philosophi sunt, Rerum publ. clavum teneant. Ut autem illi philosophentur, vel, ut hi ad gubernacula sedeant, id unicè Scholarum fit beneficio. Quapropter, ut extremum habeat aliquid oratio mea, fateatur mecum, quisquis non est mentis emotæ aut cerebri malè affecti, Marpurgum esse urbem dignam, cujus nomen penetret extremum ad orbem terrarum: Dignam, quæ ipsis emporiis longè præferatur. Etenim omnis horum splendor & magnificentia in opibus & divitiis consistit. Propter has potissimum celebrare ista solent, qui celebrant, & magnificere, qui magnificiunt. Has ut lucrentur & sibi acquirant, pleriq; ad illa proficiscuntur. Ast Marpurgum commune quoddam est literarum emporium, in quo hoc die *tres Principes, novem Comites, unus Baro*, Musarum causa degunt. Audiat hoc & admiretur Germania? Audiat totus literatus orbis & admiretur? Audiat & exaudiat sera, si qua futura est, posteritas, inq; annales relatum discat, Marpurgi hoc die tot personas illustres vivere: Marpurgum, tanquam ad omnium bonarum literarum ac virtutis mercaturam certatim transmitti tot Juvenes sive gente sive mente nobilissimos, non ut corporis illa fluxa, sed præstantiora longè, sapientiam videlicet, eruditionem, aliaq; animi bona, quæ æterna sunt, & hominem terrenum verè divinum, mortalem verè immortalem efficiunt, inde petant. Quantum igitur hæc animi dona illis excellunt donis corporis, tantum Marpurgum istis anteire urbibus, nullum, qui inficias iturus sit, existimo futurum. Hæc sunt quæ de urbis hujus dignitate in præsentiarum breviter magis, quàm prolixè & ornatè proferre volui, multò plura cum ejusdem laude & exterorum admiratione potuissem, quæ tacitus & sicco pede transilire malui. Constat ex iis eam esse urbem vetustissimam, urbem multis memorabilibus fulgentem, multis ornamentis splendentem, plurimis à Majestate divinâ donis ornatam, plurimis etiam à naturâ bonis condecoratam. Illius adeò magna sunt, ut de-
 bitis

bitis præconiis exponi nequeant: hujus tam multa & varia, let
loquacem

De lossare valeant Fabium,

nec immeritò de Marpurgò dici possit; Naturam omnes suas vires in
 illud effudisse, id quod Imperator Constantius de Româ, cum ejus
 magnificentiam inspiceret, admirabundus dixisse fertur. Hæc, ô
 incolæ, vobiscum sedulò reputate, divinam hanc benignitatem
 longè maximam pio animo agnoscite, agnitam gratâ mente hymnis
 decantate, & , quantis quantis præconiis potestis, deprædicate.
 Sic enim benefica ipsius erga vos benevolentia magis excitata,
 omnia mala à vobis propullabit, vos proteget,
 aliisque majoribus beneficiis ac-
 cumulabit.

F I N I S.

